



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCXXXIV. Decem Viri Leprosi in itinere sanatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

alios moveris Zelo Honoris Divini vindicandi, sed non secundum Scientiam, & Discretionem? Sæpe enim volumus aliorum delicta graviter puniri, & illos severè haberi, & nostra volumus nobis indulgenti Spiritus Christi non est Spiritus Eliæ, ignem è Cælo evocantis, sed est Spiritus Mansuetudinis. Nimirum rigor perdit Animas; Clementia salvat. Dilce Christo, quia Mitis est. Disce repullam patienter ferre. Disce cedere tibi adversantibus, quos vincere, aut cogere, aut de quibus vindictam sumere posses.

MEDITATIO CCCXXXIV.

Decem Viri Leprosi in itinere

sanantur. Luc. 17. v. 11.

PUNCTUM I. *Et factum est, dum irent in Jerusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè: & leverunt vocem, dicentes: JESU Præceptor miserere nostrî. Considera, quod lepra est corpori, id peccatum esse animo; nam peccatum longè receditur à DEO, & DEVS longè recedit à peccatore, desinens inhabitare ejus animum per Gratiam (quâ DEVS, qui Charitas est, diffunditur in cordibus nostris) & assistere per auxilia Gratiæ actualis. Unde necesse est levare vocem, & ex Corde perfectè Contrito cum magno Devotionis conatu clamare: JESU Præceptor miserere. Imò & peccata venialia Animæ lepra sunt; quemadmodum enim hæc, sic non*

omnis lepra corpori fatalis est. Sicut ergo fugimus lepram, & homines leprolos, sic fugias peccata, & homines, ad peccandum inducentes; & cave, ne in alios malo tuo exemplo hanc peccati lepram transfundas, aut contagioso oris halitu illis affles per loquelam: sed DEI Præsentia, & pio, ac Religioso hominum Cætu te indignum æstimans, ac velut à longè stans, Veniam & Misericordiam DEI Præceptoris tui inclama; quia Cor Contritum & Humiliatum non despiciet.

PUNCT. II. *Quos ut vidit, dixit: ite, ostendite vos Sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. v. 14.* Sic promptus, & paratus est DEVS mundare à lepra Animæ, sed per media præscripta. Sicut enim Levit. 14. corporis leprâ infecti ad Sacerdotes accedere jubebantur, ut mundi aliunde effecti, hominum consortio ab ipsis restituerentur, & mundi declararentur; ita leprâ Animæ infecti, Sacerdotibus se per Confessionem peccatorum ostendere debent, ut ab ipsis non tantum mundi declarentur, sed etiam efficiantur: quamvis, si perfectam prius Contritionem elicuerint, & ipsi, dum eunt, ac propositum adeundi habent, mundentur. Magni ergo æstimes, & ingenti fructu usurpes hoc lepræ remedium, toties tibi necessarium. Confessario, & Patri Spirituali Conscientiam tuam candidè ostendas, tentationes, vitiosos habitus, pravas inclinationes manifestes, ut perfectè à lepra saneris, nec in eam recidas, aut vestigia retineas.

PUNCT. III. *Vnus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans DEVM; & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens:*

☩

¶ Hic erat Samaritanus. Respondens autem **JESVS** dixit: *Nōne decem mundati sunt, & novem ubi sunt? Non est inventus, qui rediret, & daret Gloriam DEO, nisi hic alienigena? v. 15.* Sic sæpe, qui Beneficijs Divinis prius maximè erant indigni, deinde agnita sua indignitate, Beneficientiâ Divinâ maximè fiunt grati; revertuntur ad **DEVM** per emendationem, cadunt in faciem per Humilitatem prostrati ad pedes. Ab his, & Samaritano discite Gratitude pro frequenti emundatione à lepra Animæ, ac pro innumeris alijs Beneficijs: agnosce & detestare tuam ingratitude. A Christo verò discite patienter ferre hominum ingratitude pro beneficijs à te collatis, nec propterea intermitte illis benefacere.

MEDITATIO CCCXXXV

Christus in Templo Maledictis

carpitur à Judæis. Joan. 7. v. 11.

PUNCTUM I. *Judæi ergo quærebant eum in Die Festo, & dicebant: Vbi est ille? Et murmur multum erat in turba de eo. Joan. 7. v. 11.* Quærebant autem eum, non ut audirent illius Doctrinam, sed ut interficerent: unde eum postea in Templo apparuisset, dicebant quidam ex Jerosolymis: *Nōne hic est, quem quærunt interficere? v. 25.* Sic multi Christiani quærunt **JESVM** Die Festo, scilicet, ut eum gravius peccando interficiant, sibi metipsis crucifigentes Filium **DEI**. Itaque tu ex proposito diligentius quære **JESVM** Diebus Festis, majori Devotione eos peragendo, & reparando injurias ab alijs inferri solitas. Et singulis Festis cura, ut renove-